

ribus & stagnis colliguntur: & in regionibus, quæ proximè adjacent mari, creberrimè excitantur pluviae, quia ibi Aqua in magna copia est. Defertur autem Vapor ille usque ad mediam aëris regionem, partim à stellis extrahentibus, partim ab igniculis conjunctis, qui aquam resolvunt, & in altum elevant; qui etiam ultimi cum primis faciunt, ut quamvis materiâ gravi (aquâ nimirum) constent nubes, in aëre tamen pendeant, nec terram petant. Compertum tamen est, nubes nonnunquam etiam in infima aëris regione hæsisse. Sicuti & in universum non æquò omnes spatio Nubes à terra distant, ideo maximè, quia densæ & fœcundæ nubes, quæ plus aquæ continent, necessariò humiliorem, steriles autem & tenues, quæ minus aquæ habent, altiorem locum occupant. Porrò variè Nubes à ventis agitantur, unde formæ & figuræ Nubium diversæ, quæ modò montes, modò arbores, modò alia nobis repræsentant.

*Pluvia est Meteorum Aqueum, è Nube fœcunda, in aquas guttatim resolutâ, genitum.* Scilicet Nubes vel fœcunda, vel sterilis est, si-

cut Physici passim exponunt. Hæc, cum parum humoris contineat, à ventis dissipatur. Illa autem, cum multum humoris possideat, in Pluviam (quam quasi Fluviam dictam putant,) abit. Res autem hoc contingit modo: Igniculi, quos in vaporibus Nubium dari antè diximus, ex iis, propter frigus, quod in media aëris regione est, paulatim exeunt. Quo factò atomi aqueæ magis magisque congregantur, usque tum guttæ inde evadant, quæ postmodum naturæ impetu deorsum tendunt, & patriam repetunt. Sunt autem guttæ istæ rotundæ ex naturali atomorum aquearum in guttis amore, quo se mutuò complectentes istam figuram efficiunt. Vel rotundam figuram guttæ adsumunt, ne rursus ab igne resolvantur: rotunditas enim vi externæ propulsandæ aptissima est.

§. IIX.